DE

SYPHILIDIS NEONATORUM SYMPTOMATIBUS ET PATHOGENIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIII MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILEL. AUGUST. FRIEDLAENDER

HAMBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. FRIEDLAENDER, MED. ET CHIR. CAND.
G. LOEHMANN, MED. ET CHIR. CAND.
H. THOMSON, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO, INTEGERRIMO

J. M. A. SCHOEN,

MED. ET CHIR. DOCTORI, ARTEM SUAM NOBILISSIMAM HAMBURGI EXERCENTI,

AMICO BENEVOLENTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Omnium morborum maxime contagiosus, Syphilis, non adultos tantum, quibus facilius et frequentius causae hujus labis occasionales offeruntur, sed infantes quoque insontes, vix matris utero exclusos, armis funestis aggreditur. Facile est intellectu, luem non minus, quam maximam aliarum affectionum partem ex proprii organismi infantilis vi et natura aliam assumere indolem, alium decursum, quam in homine adulto. Et revera observatoribus non solum morbi ipsius, sed praesertim geneseos habito respectu tam mira se obtulerunt, ut inde ab illo tempore, quo primum virorum artis peritorum animus hanc ad rem advertebatur usque ad nostram aetatem, sententiae de morbi venerei apud infantes neonatos pathogenia diversissimae ederentur. Quas si paulo accuratius perlustramus, mox videbimus, duas praesertim hujus dissensionis existere causas, alteram quod non attente satis viri docti ad symptomata et conditionem, quibus Syphilis apud recens natos se praebere solet, animum adverterint,

alteram, quod omnes fere, qui de hac re scripserunt auctores, suam tantum respiciebant experientiam, et omissis, neglectis, resectisve aliorum observatorum opinionibus et exemplis ab ipsis appositis, notatu quam dignissimis, theorias leves, rebus non ab omni parte bene pensitatis, tradiderint. Nam omnes fere, quos mihi inspicere licuit, libelli de argumento nostro accuratius agentes, novi sane aliquid et unam alteramve observationem rariorem et notabilem continent, sed non pauci auctorum celeberrimorum credere videntur, illud tantum verum esse posse, quod ipsi viderint, ea vero, quae ipsos aut fugerint aut eorum theoriae repugnent, omnino falsa, aut certe non satis accurate observata esse. Alii vero unum tantum et solitarium exemplum sufficere putarunt, quo fulti sententias tueri possent, quae physiologiae et pathologiae legibus minime conveniunt; ita ut nullam facile invenias de Syphilidis apud neonatos pathogenia opinionem hypotheticam, quin, non dicam defensores, invenerit fautores et asseclas tam acres, ut aliae omnes non tantum rejicerentur, verum etiam tanquam ineptae damnarentur. Facile est intellectu, hoc modo tantum abesse, ut sententiarum perturbatio imminueretur, ut earum copia itaque earum confusio observatione quaque nova augeretur. Quare non inutile fore putavi, si virorum doctorum sententias de Syphilidis neonatorum pathogenia in unum quasi corpus colligerem, argumenta, quibus ad defendendam opinionem usi sunt, afferrem, et quantum per vires liceret, epicrisi submitterem. Sed antequam ad hanc libelli nostri partem progredimur, te, Lector benevole, oro rogoque, ut mecum symptomata perlustres, e quibus neonatum revera Syphilide esse infectum judicamus, nam ea de causa hoc

praemittendum esse putavi, ne postea disquisitionis nostrae caput intercalationibus longis disjungatur et turbetur. Vale, L. B., et

Ne nostros contemne orsus medicumque laborem!
(Fracastori, Syphilis L. I. v. 19.)

SYMPTOMATA.

In universum dici oportet, Syphilidis symptomata in neonatis non alia inveniri, ac in adultis. Attamen, ut jam adnotavimus, ex ratione et conditione infantum necesse est, diversa sint quodammodo, non quod ad ipsam rem et naturam, sed quod ad faciem et formam, ad loca, ubi primum in conspectum venit, et ad decursum attinet.

Matres syphiliticae, utero gerentes, saepissime abortum faciunt et ita quidem, ut in oculos incurrat, abortum mortis praematurae foetus esse effectum. Nam maxime emaciati inveniuntur et in liquore amnii quasi macerati et semiputridi (1), quem quidem statum ne cum V. Cel. Mahon ex hujus liquoris pravitate derivemus, illud vetat, quod non raro in partubus ceterum quam sanissimis, foetidissimum et adspectu putridum videmus, verisimilius ergo est, hanc aquarum conditionem effectum magis, quam causam mortis infantis esse.

Etsi vero tempus graviditatis legitimum mulieres attingunt, infantes tamen quam infirmissimos et ad vitam

---

(1) P. A. O. Mahon, Ueber d. vener. Krankheit neugeborner Kinder. Mém. de la societé med. d'émulat. Sec. ann. à Par. a. VII. Uebers. in: Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch f. prakt. Aerzte. Bd. XIX. S. 401. — Girtanner, Abhdlg. üb. d. Krankheiten d. Kinder. Berl. 1794. S. 142.

extra matris sinum degendam vix aptos in lucem edunt (1). Adspectum praebent infantum atrophia laborantium; vix calor sufficiens cum iis communicari potest, pondus et magnitudo non justa, palpebrae semper fere clausae; clamor somnolentorum aut inquietorum vix auditur et vagitus potius nominandus est. Facies infantum livida et lurida, rugis plicisque plena, senis doloribus cruciati praebet imaginem (2).

---

(1) Mahon l. c. p. 110. — Idem, Gemälde d. Zufälle der vener. Krankh. bei neugeb. Kindern. Aus Mém. de la soc. méd. d'émul. Troisième année. Par. a. VIII. in Sammlg. auserles. Abhandl. Bd. XX. S. 126.

(2) Doublet, Mém. sur les symptômes et le traitement de la mal. vener. dans les enfans nouveaux nés. Par. 1781. 12. Uebers. in: Sammlg. auserles. Abhdlgen. Bd. VII. S. 611. — Girtanner l. c. p. 140. — Mahon l. c. — Beyer (Bemerkungen üb. syphil. Ansteckg., primäre und secundäre Symptome u. s. w. in Hufeland's Journ. Bd. LIII. St. 3. S. 112) quidem credit, hanc regulam multis exceptionibus restringi et ad suam opinionem tuendam ex diariis nosocomii Caritatis Berolinensis viginti et unum affert casum, ubi matres syphiliticae partus ediderint, quorum quindecim viventes in lucem proferebantur. Sed hoc bene est notandum, Beyerum non dixisse, quibus Syphilidis formis matres affectae fuerint; in oculos enim incurrit, observationes supra allatas ad eas tantum spectare, quae fortioribus et secundariis luis symptomatibus laborant. Ceterum ex reliquis mulieribus sex, duae infantem octo mensium pepererunt, quorum alter omnino putridus erat; una foetum septem, et tres foetum quinque aut sex mensium in lucem ediderunt. Ex iis vero infantibus, qui viventes lucem adspexerant, unus, cujus mater inter graviditatem gravibus Syphilidis affectionibus laboraverat, ideoque non parvam Mercurii copiam sumpserat, tres post partum dies mortuus est. Primariae luis symptoma, ulcus simplex, ubicunque locum habeat, non magis efficere potest, ut infans debilis et ad vitam non idoneus nascatur, quam alia quaecunque laesio matris localis, per se non nimis magna, ut nobis videtur. Hoc vero morbo primario

Aut statim aut post aliquot dies (1) signa Syphilidis clariora, magisque aperta et evidentia apparent. Interdum infantes viventes eodem statu, minore tantum gradu, nascuntur, quem illi praebent, qui praematuri et semiputridi in lucem eduntur. Epidermis aut totius corporis aut alicujus partis quasi est emollita; tota infantis superficies maculas ostendit lividas vel nigras; cutis liquore amnii macerata primum a malleolis secedit, circa calcem ulceratur, singula telae cellulosae foliola exsolvuntur, donec os ipsum integumentis denudatum sit (2). Sensim hoc per totum corpus evenit, nisi infans prius dolori et cruciatibus succumbat.

Omnino cutis est illa pars, quae plerumque primum Syphilide in neonatis afficitur. Non raro apud infantes exanthema se ostendit, quod V. Cl. Albers (3) Ecthyma syphiliticum infantile vocavit et optime descripsit. Mirum in modum semper fere hoc exanthema circa ungues primum apparet et saepissime quidem circa unguem hallucis, interdum quoque digitorum manus (4).

---

laborasse videtur major mulierum, a Beyero allatarum, pars, ut quoque ex quibusdam ejus dictis elucet.

(1) Qua de re vide infra.

(2) Doublet l. c. 614. — Mahon, Sammlg. auserles. Abhandl. Bd. XIX. p. 402. — Id. ibid. Bd. XX. p. 130. 135.

(3) Ueber Erkenntnifs und Kur der syphilitischen Hautkrankheiten. Bonn 1832. S. 17 u. 100. Dubois vocat hoc exanthema Syphilidem neonatorum; Levret: bullam neonatorum magnam, vd. Sammlg. auserles. Adhandl. z. Gebr. f. prakt. Aerzte Bd. I, p. 32.

(4) Albers l. c. p. 18. 97. 100. — Doublet l. c. p. 614. — Mahon l. c. Bd. XIX. p. 403. — Id. ibid. Bd. XX. p. 134. — Guerard (zwei prakt. Beobachtungen üb. contagiöse Krankheiten des Uterus: Siebold Journ. f. Geburtshülfe Bd. X. S. 553)

Initio in hac vel alia corporis parte apparet locus durus (bubonulus ab Huntero, bouton a Doubleto vocatus), intense ruber, qui vero jam post nychthemeron, vel prius etiam, in pustulam parvam, rotundam, humore satis pellucido impletam et areola subrubra circumdatam, mutatur, pustula tamen crescente areola imminuitur. Cum ad magnitudinem legitimam, h. e. variolae maturae, pervenerit pustula, rumpitur, vacuefit et oculis intuentium ulcus se ostendit circulare, fundo albente, margine abscisso et areola coloris cuprini, vel intense rubri praeditum. Tale ulcus per aliquod tempus sine omni granulatione manet, donec tandem fundus allevetur et cicatrisatio perficiatur, ita tamen, ut lacuna cutis satis magna relinquatur. Vel etiam ulcus magis magisque extenditur, cum aliis eodem modo conformatis confluit, itaque formam irregularem assumit. Rarior est ille casus, quo pustula crusta obtegitur, quae tandem ulcus et cicatricem occludit. Cicatrix ipsa diu colorem intense rubrum refert. Non eodem tempore omnes corporis partes pustulae obtegunt, sed sensim ab extremitatibus incipientes ad ceteras regiones, tergum, anum, abdomen, regionem umbilicalem, repunt, ita ut hic jam ulcera facta sint, dum illic oriuntur, aut stadium acmes vix attingunt. Hic exanthematis decursus idem est, sive infans cum eo vitam ingressus, sive post dies aut menses illud adeptus sit.

---

idem invenit et observavit; ungues digitorum manus et pedis sub finem morbi a carne recedebant, sensimque angustiores et longiores reddebantur, ita ut tandem avis falcularum imaginem praeberent. Denique vero decidebant et unguibus sanis locum dabant, qui iterum eundem sumebant decursum. Hoc ter factum est antequam ungues sani manerent. — Hasper (quem citat Meissner, Kinderkrankheiten. Leipz. 1828. p. 280) narrat, arrosionem quandam circa margines unguium pro certo Syphilidis signo in hospitio parvulorum expositorum Parisiensi haberi.

Interdum vero non statim formam hanc exanthematicam assumit Syphilis, sed in singularibus potius locis haeret et in iis quidem. ubi integumenta communia cum tunica mucosa confluentia tenuiorem et vulnerabiliorem habent structuram, e. g. in labiis, in glande et praeputio, circa anum etc., aut ubi cuticula facile atteritur, ut in fovea axillari, inter femora, in regione inguinali etc. (1). Primum tantum vides excoriationem, vel erosionem simplicem, quae mox latius extenditur; margo durus fit et callosus; fundus colorem albidum, lardo similem induit; postea humorem foetidum, saniosum effundit, et nisi mox medicamenta idonea adhibentur, ulcus nigrescit et aperte in gangraenam, vel sphacelum transit (2).

In cavo oris saepissime ulcera syphilitica apud neonatos inveniri dicuntur. Ex descriptione vero ab auctoribus data apparet, hunc morbum non satis distinctum esse ab illo, quem nunc Stomacacen vocamus. Dicuntur haec ulcera gingivis insidere, colorem ex albido flavum, fundum margini aequalem habere; inter symptomata minoris momenti numerantur (3).

---

(1) Doublet l. c. p. 612. sqq. — Auszug aus dem v. der med. Facultät zu Paris gegebenen Gutachten üb. die Behandlung der mit d. vener. Krankh. angesteckten Kinder. In: Sammlung auserles. Abhandl., Bd. II. St. 4. S. 146. — Jördens, Bemerkungen über d. Kopfgrind, d. Wundsein u. d. Eiterung. d. Mundwinkel säugender Kinder. Hufeland's Journ. Bd. VI. S. 100. — Girtanner l. c. p. 140. — Mahon l. c. Bd. XX. p. 131.

(2) Doublet l. c. p. 610. — Girtanner l. c. p. 139. — Mahon l. c. Bd. XX. p. 124. 133.

(3) Doublet l. c. p. 612. — Ordo medicorum Parisiensium (Gutachten etc. l. c. p. 147.) jam monet, ne utrumque morbum, ceterum simillimum, confundas.

Idem fere valet de Ophthalmoblennorhoea neonatorum. Negari quidem non potest, hoc malum ex infectione per matrem syphiliticam originem ducere posse et vere oriri. Attamen cum inter symptomata crebriora et minus periculosa ab auctoribus antiquioribus numeretur, putandum est, non raro ab istis Ophthalmiam neonatorum vulgarem, aliis ex causis ortam, cum syphilitica permutatam esse (1).

Neque aliae blennorhoeae syphiliticae omnino desunt apud infantes. Blennorrhoeam narium memorat Mahon (2), Otorrhoeam (quae tamen utraque non raro ossium cariem indicat) signum pathognomonicum vocat Girtanner, nescio quo auctore aut quanam de causa (3). Blennorrhoeam ex partibus genitalibus apud pueros se nunquam vidisse affirmant Doublet (4) et Mahon (5), aliquoties autem apud puellas; monent vero, ne cum effluvio lymphatico, quod in omnibus puellis neonatis appareat, confundas.

Inter signa minoris dignitatis memoratur ab auctoribus exanthema papulosum, quod in fronte et in genis se ostendit; porro tumores diversissimae formae et naturae,

---

(1) Doublet l. c. p. 612. 615. 617. — Gutachten l. c. p. 146. — Mahon l. c. Bd. XIX. p. 399 jam signum incertum hanc oculi blennorrhoeam nominat; tamen ex profluvio materiae purulentae et celerrima oculi ruina de origine syphilitica concludi posse credit. — Id. ibid. Bd. XX. p. 127. — Girtanner l. c. p. 139. — Jüngken, Lehre v. d. Augenkrankheiten. Berl. 1832. S. 360.

(2) l. c. Bd. XX. p. 138.

(3) l. c. p. 140.

(4) l. c. p. 613.

(5) l. c. Bd. XX. p. 133.

ita ut abscessus, steatomata, exostoses, lupiae, tophi etc. hoc generali nomine comprehendantur. Haec tamen signa per se jam maxime incerta, nihil proprii habent et ab auctoribus obiter tantum describuntur, quare hic illa omittenda esse putavimus (1). —

Hanc Syphilidis neonatorum descriptionem, quam secundum optimos auctores perfecimus, accuratius perscrutantem mox offendet, nusquam inter symptomata primaria et secundaria distingui, quae tamen res ad disquisitionis nostrae argumentum maximi est momenti. Nam Mahon (2) jam observavit, naturam symptomatum apud infantes syphiliticos sine dubio ad morbi genesin et propagationem explanandam mirum in modum valere. Dolendum tamen est, usque ad nostra tempora paucissima tantum ab auctoribus praestita esse, ut hoc momentum dilucidetur. Syphilis quidem localis apud infantes celerrime et facillime in universalem transire videtur, ita ut saepissime dici non possit, num symptoma, ceterum maxime distinctum, luis sit primariae an secundariae (3), tamen non dubitamus, fieri posse, ut observationibus accuratius institutis, haec res majorem mox evidentiae gradum obtineat. Quae nobis secundum descriptiones optimorum observatorum et theoriam simplicem persuasimus, breviter hoc loco exponemus:

Syphilis congenita semper est universalis (4).

---

(1) Albers l. c. p. 55. — Doublet l. c. p. 609. 612. — Mahon l. c. Bd. XX. p. 131 et passim.

(2) l. c. Bd. XX. p. 133.

(3) Albers l. c. p. 19. 115.

(4) Cui tamen rei contradicere videtur Albers l. c. p. 11;

Si Syphilidis symptomata post dies aliquot apparent, res in suspenso est. Signa, quae lucem afferre possunt, haec sunt: Conditio genitalium matris; habitus infantis, num ceterum sanus et bene nutritus, an praematurus, debilis, emaciatus; locus, ubi signa Syphilidis primum apparent: fortasse, quam supra memoravimus, unguium arrosio, si hoc symptoma primum est, semper luis secundariae signum, si contra in locis tenuioribus, glande, praeputio, labiis, circa umbilicum ulcera primum apparent, signum Syphilidis localis. Balling (1) quidem credit, luem localem semper sub forma ulcerum ostendi; huic tamen sententiae contradicunt observationes aliorum auctorum, imprimis V. Cl. Albers, qui narrat casum, in quo Syphilis una cum vaccina inserebatur et mox pustulae, ut signum luis primariae, apparebant (2). Verum tamen est, has pustulas mox in ulcera mutari; sed hoc non minus Syphilidis secundariae quam primariae symptoma.

Signum fortasse unicum, quod semper infectionem localem indicat, est Ophthalmoblennorrhoea. Duo tamen momenta hic non praetermittenda sunt; primum quod non semper contingit, naturam hujus morbi syphiliticam extra omnem dubitationem ponere; deinde quod sine dubio non raro Syphilis universalis una cum infectione locali existere potest.

---

verumtamen de illis quoque casibus loquitur, in quibus Syphilis post aliquot demum dies apparuerit.

(1) Ueber angeborene und ererbte Syphilis. Hecker's Annalen. Bd. XXIV. p. 137.

(2) l. c. p. 115. 138.

SYPHILIDIS NEONATORUM PATHOGENIA.

Tres omnino existunt viae, quibus secundum virorum doctorum opinionem fieri potest, ut infans neonatus lue venerea afficiatur — per infectionem, per generationem, per hereditatem. Bene vere notandum, non omnibus artis peritis persuasum esse, triplici hac via morbum oriri posse, sed alter hanc, alter illam unicam putat et opinionem suam argumentis nunc gravibus, nunc levibus et fallacibus tueri nititur. Quae omnia paullo accuratius perlustremus.

I. Infectio.

1. Sine dubio maxima infantum pars, quae aliquot post partum dies luis venereae signis afficitur a matre, cujus vagina ulceribus syphiliticis scatet, inficitur. Per se intelligitur, hoc in casu Syphilidem primariam semper, et in illa quidem regione oriri, ubi infectio facillime locum habere potest, ergo in partibus epidermide tenuiore obtectis, labiis, genitalibus etc. Sed frequentior haec morbi origo non paucos magni nominis viros commovit, ut aliam omnino negarent, et quamquam non dubitamus, hanc sententiam immerito defendi, major tamen nobis videtur eorum error, quibus persuasum est, nunquam fere luem veneream apud recens natos infectione locali oriri. Inter illos inprimis nominandi sunt: J. Hunter (1), Astruc (2),

---

(1) A treatise on venereal disease. London 1786. Uebers. Leipz. 1787. p. 39. 492.

(2) Traité des maladies vener. Par. 1777. T. II. l. 2. ch. 1. p. 7. sqq.

Walch (1), Richter (2), Girtanner (3), Joerg (4), Wendt (5), Meissner (6), Rhode (7); inter hos: Fleisch (8), Jahn (9) et G. C. Siebold (10).

Rationes, quas posteriores ad sententiam suam probandam afferunt, paucis tantum attingamus. Si infans inter partum tantum, inquiunt, a matre syphilitica inficeretur, non difficile esset, infectionem omnino impedire; virus enim venereum in superficie neonati haerere, ubi tamen neque purum neque copiosum satis colligi possit. Fingamus enim partum aut facilem esse aut difficilem; illud si acciderit, liquore amnii vaginam aut omnino purgari, aut venenum saltem quam maxime dilui; hoc vero si evenerit, statum oriri quasi subinflammatorium, vaginam siccescere, nullam fieri secretionem, neque normalem neque anomalam; praeterea genitalia oleo vel adipe illiniri, quae cuncta impediant, quominus in corpore neonati venenum haereat. His vero omnibus omissis, venenum satis absorberi non posse; totum enim infantis corpus ver-

(1) Ausführl. Darstell. d. Ursprungs, d. Erkenntniſs u. s. w. d. vener. Krankh. Jen. 1811. p. 49 sqq.

(2) Spec. Therapie. Berl. 1827. Bd. 5. S. 547.

(3) l. c. p. 143.

(4) Handb. z. Erkennen u. Heilen d. Kinderkrankh. §. 298.

(5) D. Kinderkrankh., systemat. dargestellt. Berl. 1835. S. 135.

(6) l. c. p. 278.

(7) De syphilide neonatorum. Dorpat 1825.

(8) Handb. üb. d. Krankh. d. Kinder. Leipz. 1803. Th. I. S. 425 ff.

(9) Neues System der Kinderkrankheiten. Rudolstadt 1807. S. 181 ff.

(10) Super recentiorum quorundam sententia, qua fieri neonati syphilitici dicuntur, cogitata quaedam ac dubia proponit. Wirceb. 1791.

nice caseosa obtectum mox maxima cura purgari et lavari; ab aëre praeterea cutem irritari, ita ut vasa spasmo quasi occludantur, haeque ratione resorptionem non minus retardari. Non raro denique factum esse, ut matres ubicunque ulceribus syphiliticis obsitae, infantes quam sanissimos, et qui nunquam morbi vestigium praeberent, ediderint (1).

Facile vides, haec argumenta tam levia et mere theoretica esse, ut refutatione vix egeant; neque ex observatione accurata et incorrupta orta videntur. Etsi partus sit quam facillimus, satis tamen temporis supererit, ut venenum liquore amnii semel ablatum, denuo excernatur; vaginae siccitas nunquam tanta est, ut omnis secretio supprimatur, neque secretum oleo illito impediri vel dilui potest. Vernix caseosa omnes corporis partes minime obtegit, interdum vel omnino deest, et status ubi vasa per aëris irritationem occludi dicuntur, idoneis rationibus probari non potest. Verum quidem est, interdum infantes sanos a matribus ulceribus vaginae syphiliticis laborantibus edi, sed non rari sunt casus illi, in quibus adulti quoque ab infectione venerea tuti esse videntur.

Multo graviora pro sua opinione afferunt argumenta viri docti, qui sententiam sustinent contrariam, nunquam congenitam esse Syphilidem, sed semper inter aut post partum acquisitam. Nam prima luis apud neonatos sym-

---

(1) Exempla v. ap. Mahon l. c. Bd. XIX. p. 411. — Osiander, Annalen d. Entbindungsanstalt z. Götting. 1. Stück. Gött. 1800. — Mauriceau, Traité des maladies des femmes grosses. Par. 1721. Obs. 123. 178. 394. 456. — Feiler, Paediatrik. Sulzb. 1814.

ptomata semper in cute cernuntur et aliquot post partum dies demum apparent; exempla, quae feruntur, ubi infantes syphilitici nati esse dicuntur, maxime ambigua sunt; omnia enim symptomata, excoriationes, pustulae, rhagades, aphthae, ophthalmiae, facies senilis, Syphilidi non sunt propria, sed non minus in infantibus a parentibus cachecticis procreatis reperiuntur: mulieres lue universali laborantes raro partus edunt vivos. — Per generationem Syphilis propagari non potest: nam semen vere syphiliticum ad generationem non idoneum foret, cum lege naturae pactum sit, ut corpora organica tum demum ad procreandam progeniem apta sint, cum maximum maturitatis et virium gradum attigerint; generatio igitur nullo modo fieri potest, ubi morbus tam potens corpus devastat. Neque aliter res se habet, si inter ejaculationem mucus vel pus venereum semini admiscetur; nam mucus vel pus ab utero absorbebitur, antequam ovulum eodem pervenit, aut si illud attingit, efficiet, ut conceptio locum habere non possit. — Neque a matre virus venereum ad foetum transire potest; primum enim transitus continuus et mutuus sanguinis a matre ad foetum non existit, deinde vero sanguis, lympha, lac etc. male quidem parata, sed non syphilitica esse possunt, cum secundum Hunteri experimenta humores illi ex syphiliticis desumpti vim infectoriam non habeant. —

Verum quidem est, maximam infantum syphiliticorum partem non apertis morbi signis nasci, sed post aliquod tempus demum iis affici (1), factumque est, ut

---

(1) Doublet l. c. p. 607. 609. — Mahon l. c. Bd. XIX. p. 401. 403.

medici, quibus observandi occasio frequentissima fuit, Syphilidem congenitam nunquam viderint (1); negari porro nequit, signa Syphilidis apud neonatos non satis semper aperta et perspicua esse, id quod jam Mahon dolendum esse dicit (2). — Sed haec omnia nihil probant. Nam observationes docent indubitatae, infantes syphiliticos natos esse, quorum mater in genitalibus nullum luis praebuit signum; quarum observationum, omissis antiquioribus ab Ambrosio Paraeo, Boerhaavio, Levreto, Nisbettio, Vassalio allatis, invenies certissimas apud Rosenstein (3), Fabre (4), Doublet (5), Mahon (6), Gruner (7), Baldinger (8), Heineken (9), Kortum (10), Anonymum (Fleisch?) (11), Albers (12), Guerard (13), Haase (14), Balling (15), Harder (16). Porro quod symptomata non statim

---

(1) Girtanner, l. c. p. 143.

(2) l. c. p. 402.

(3) Anweisuug z. Kenntnifs und Kur d. Kinderkrankheiten. A. d. Schwed. v. Murray. 6te Aufl. S. 728.

(4) Maladies veneriennes. p. 263.

(5) Mémoire sur la vérole des enfans nouveau nés. Sect. 2.

(6) l. c. Bd. XIX. p. 103.

(7) Almanach f. Aerzte u. Nichtärzte, a. d. J. 1784. S. 207.

(8) Quem affert Fleisch, l. c. p. 420.

(9) Hufelands Journal. Bd. IV. St. 2. S. 434.

(10) Hufelands Journal. Bd. XX. St. 3. S. 31.

(11) Hufelands Journal. Bd. IV. St. 3. S. 107.

(12) l. c. p. 18.

(13) l. c. p. 551.

(14) De Syphilidis recens natorum pathogenia. Lips. 1828. p. 14.

(15) l. c. p. 130.

(16) Verm. Abhandl. aus d. Gebiete d. Heilkunde von einer Gesellschaft prakt. Aerzte zu St. Petersburg 1830. S. 170.

post partum, sed serius demum, in lucem prodeunt et perpetuo fere in cute sedem ponunt, alio longe modo, quam infectione locali, explanari potest. Per experientiam multifariam constat quodcunque acre morbosum eo potissimum deponi, quo per irritationem quandam invitetur et alliciatur. Foetus autem matris utero inclusus in aqua natat temperaturae aequabiliter calidae; vix functioni cuidam praeesse cutis videtur, nisi fortasse absorptioni. Statim post partum aër frigidus neonatum afflat, et quae paullo ante iners erat cutis, aut functioni inserviebat contrariae, nunc subito excretionis potissimum opus subit; neque sine irritatione organi immutationem hanc fieri ex rubedine primis diebus in omnibus neonatis manifesta, nec non ex morbis cutaneis variis, primoque tempore frequentissimis, intertrigine, erysipelate, miliaribus etc. satis apparet. Huc fortasse accedit, quod jam a Linnaeo et Sauvagesio affirmatur, nostris vero temporibus a VV. Cl. Cl. Carmichael (1), Huber (2) et Handschuch (3), denuo prolatum est, Syphilidem primitus non esse cachexiam, sed morbum cutaneum, ceteraque morbi symptomata, affectiones periostei, ossium, tendinum aliarumque partium non ex ipsa luis natura, sed ex curatione perversa et regimine non congruente oriri. Quibus allatis, in oculos incurrit, non necesse

---

(1) Beobachtungen über die Zufälle und specif. Unterschiede der venerischen Krankheiten. Aus d. Engl. v Kühn. Leipzig 1819.

(2) Beobachtungen üb. d. Geschichte und Behandlung d. venerischen Krankh. Stuttgardt u. Tüb. 1825.

(3) Die syphilitisch. Krankheitsformen, ihre Heilung u. s. w. München 1831.

esse, affectio cutanea neonatorum syphilitica semper signum exhibeat infectionis localis, neque mirari oportet, virus, si in corpore lateat, aliquod post partum tempus demum apparere (1). — Symptomata non semper initio esse evidentia, concedimus, sed partim ex morbo progrediente, partim ex juvantibus et nocentibus diagnosis mox confirmabitur. — Neque minus verum est, mulieres lue universali laborantes saepissime partus edere mortuos. Sed ipse hic foetuum in lucem editorum status quodammodo opinionem de infectione in matris sinu fovere potest; deinde vero nullibi probatum est, tales mulieres infantes mortuos semper parere debere.

Quae porro dicta sunt, fieri non posse, ut ex patris semine vel ex matris sanguine corrupto foetus inficiatur, de his locis magis idoneis fusius disceptabimus.

2. Non pauci enim virorum doctorum affirmant, foetum a matre in utero infici posse, quod quidem exemplis probare student, quibus neonati vix in lucem editi symptomatibus syphiliticis indubitatis laborabant, et ubi matris quidem vagina incolumis, ceterum vero luis secundariae signa aut aperta aut occulta et ab aegrotis neglecta reperiebantur. Plurima huc referenda sunt exempla, quae supra attulimus. Jam adnotavimus, ab aliis contrarium defendi; quemcunque enim dicunt morbum contagiosum propriam habere sedem, et si in alium hominem transeat, necesse esse, proprium illud organon a materia morbosa contaminetur. Nullum ergo a matre ad

---

(1) Ordo medicorum Parisiensis (Gutachten l. c. p. 14) credit Syphilidem in neonatis tum serius ostendi, si matres inter graviditatem Mercurium sumpserint.

foetum transire posse morbum, quin in sanguine haereat, sanguinem morbosum reddat, quod secundum Hunteri experimenta in Syphilide non eveniat; Scrophulosin contra hac ex causa facillime in foetum transferri (1). Ab his vero si discesseris, hoc quidem negari non posse, minime foetum cum matre continuum alere commercium, placentamque nihil aliud esse, quam organon respirationi dicatum.

Sed neque pauca sunt neque parvi momenti, quae huic asserto objici possint. Nam non pauca existunt mala, quae propriam habent sedem et proprium excernunt venenum, in quibus vero specificam sanguinis corruptelam demonstrare non poteris, et quae nihilominus ex uno ad alterum transeunt, quamvis ipsum virus ad locum, quo primum se praebet, non delatum sit, quod de plurimis morbis valet, in quibus aër contagium proprium secum fert, quod per cutem et pulmones in corpus inductum, in certis tamen ejus locis deponitur, e. g. de gangraena nosocomiali (2). Deinde vero minime nobis probatum videtur, corruptelam sanguinis in Syphilide secundaria non existere; imo plurimi adversariorum ultro concedunt, sanguinem matris syphiliticae non sanum esse, foetum igitur in matris utero bene valere non posse; hoc tantum negant, vere syphiliticum esse sanguinem. Sed minimi haec res momenti est, ut credo. Nam explicetur velim, quomodo sine specifica sanguinis vel lymphae corruptione fiat, ut, Syphilide universali oborta, su-

---

(1) V. Meissner, l. c. p. 104. ff.

(2) V. Rust in ejus Handbuch d. Chirurgie. Bd. XVI. s. v. Ulcus p. 533.

bito in loco, ubi infectio localis evenire non potuit, ulcus vere syphiliticum et ab ulcere primario per se non distinguendum, appareat? Quod si fit (et quis est qui dubitet?) nos minime intelligere confitemur, cur non idem transitus a matre ad foetum concedi possit? Nam quae dicta sunt, foetum cum matre non immediate cohaerere, pluris, quam par est, aestimata esse videntur. Nullibi enim, ut ex physiologorum recentiorum disquisitionibus patet, aperti vasorum fines existunt; ubicunque vero exhalatio et resorptio fit; nonne idem fieri potest in placenta, eo magis, quod ne omnibus quidem arteriarum et venarum tunicis haec vasa praedita sunt? Nonne simul cum elementis ad foetus vitam necessariis materies morbosa communicari potest? Imo si placentam tantum pro organo respirationi inserviente habeas, quid hoc contra? Nonne etiam miasmata, ab adultis per pulmones recepta, morbos producunt specificos? Recte V. Cl. Balling adnotat, non omnia in natura mechanice fieri, neque mechanico modo explanari posse, quibus et V. Cl. Rhodii opinio refellitur, virus ex velamentis ovi ab utero infectis in foetum transferri posse. Neque Syphilis unicus morbus contagiosus est, qui a matre in foetum transit, sed variolae etiam, quod plura docent exempla (1).

Haud vero contendimus, matres lue universali affectas, infantes syphiliticos parere debere, neque negamus, a talibus sanissimos interdum edi, cum id, quod fieri potest, non semper fieri debeat. V. Cl. Beyer fortassis

---

(1) Quorum duo tantum recentiora afferam, alterum a Guerardo l. c. allatum, alterum in: Med. Jahrbücher des Oesterreich. Staates. Neueste Folge Bd. II. St. 2. S. 312. narratum.

ita rem se habere credit, ut a mulieribus, sub conceptionis tempus syphiliticis, morbus in foetum non transferatur, ut lues, quae gravidas primo graviditatis dimidio afficit, aeque infantes intactos linquat, sed eorum mortem vel abortum efficiat, ut vero ex matribus, quae inde ab octavo usque ad decimum mensem lue corripiantur, contagium in foetum transeat. Per conceptionem enim fieri, ut Syphilis, aeque ac ceteri reproductionis morbi, non progrediatur, quia omnis organismi opera foetui efformando impendatur. Si mater primis graviditatis mensibus inficiatur, foetum quidem arctius cum matre cohaerere et propter vitae ejus imbecillitatem majorem morbos suscipiendi, facultatem habere, sed propter hanc ipsam imbecillitatem fomitem non evolvi, sed embryonem morbo succumbere et partu praematuro excludi. Foetum vero tam excultum, ut vitam propriam agere possit, a matre in utero infici et infectionis signis apertis in lucem edi posse. Cui quidem opinioni assentitur V. Cl. Hufeland (1).

3. Tertia ratio, qua forsitan infectio foetus ante partum oriri possit, est illa, ubi inter graviditatem virus syphiliticum a patre cum foetu communicatur. Cujus quidem rei unicum tantum exemplum, neque hoc quidem valde probabile, apud V. Cl. Albers (2) reperimus. Mulier sexto vel septimo graviditatis mense cum marito gonorrhoea laborante pluries coitum exercuit, non vero infecta est. Albers ipse patrem

---

(1) Beyer, l. c. et Hufeland ibid. in annotatione.
(2) l. c. p. 19.

diu hoc malo aegrotantem curavit. Legitimo graviditatis tempore mulier infantem edidit, qui statim post partum, cui Albers affuit, parvam pustulam ad unguem hallucis sinistri ostendit. Mox plures apparuerunt et in ulcera, characterem aperte syphiliticum praebentia, mutatae sunt. Infans die nono mortuus est. Pater postea lue universali affectus per inunctiones liberatus est.

Jam diximus, minime hanc rem probabilem nobis videri. Primum enim sub judice lis est, num mucus gonnorrhoicus ulcera syphilitica efficere possit; deinde vero, si ab hoc discesseris, virus per se jam dilutum, quomodo per velamenta ovi et per liquorem amnii foetum potius, quam matrem inficere potuerit, nobis non satis liquet. Id denique memoratu dignum nobis videtur, hoc quoque in casu prima infectionis signa in halluce se obtulisse, quod supra symptoma luis secundariae diximus, cum, si pater revera foetum infecisset, signa Syphilidis localis magis aperta se ostendissent. Certe unicum hoc exemplum non sufficit, ut in re tam gravi judicium feramus.

II. Generatio.

Plura existere dicuntur exempla, in quibus neonati perspicuis luis symptomatibus affecti erant, quamvis per accuratissimum examen neque praesens neque praeteritus matris morbus, ex quo haec labes originem ducere potuerit, detegeretur, tamen pater coram medico fateretur, se circa generationis tempus vel paulo ante Syphilide laborasse, ac interdum apertis secundariae luis signis

adhuc laboraret. Casum hujus generis maxime singularem narrat V. Cl. Guerard (1).

Mulier, liberaliter educata et optima fama celebrata, infantem edidit toto in corpore maculis fuscis ac quibusdam in locis, praesertim in digitis pedis et manus et in genitalibus, ulceribus, similitudinem syphiliticorum gerentibus obtectum, quae obstetricis, parentum et nutricis testimonio statim post partum se ostenderint. Mater interrogata asseveravit, se nunquam neque fluore albo, neque exanthemate neque alio quodam symptomate suspecto laborasse, neque exploratio accuratissima aliquid demonstravit, quod huic narrationi repugnasset. Maritus contra confessus est, se brevi ante generationem in itinere ulcus syphiliticum tulisse, quod tamen, Mercurio aliquamdiu adhibito, inter salivationem modicam evanuerit. Attamen aderant signa luis secundariae, maculae coloris cuprini in sterno, in fronte et in pedibus, nec non dolores osteocopi. Pater mox per usum hydrargyri muriatici corrosivi, dosibus auctis porrecti, et per decoctum lignorum fortius, infans per usum cautum et saepissime interceptum Mercurii solubilis Hahnemanni post quatuor menses sanatus est. Mater ipsa infantem lactans, non infecta est, ea adhibita cautione, ut papillam antea semper mucilagine gummi arabici, postea solutione calcariae chlorinicae lavaret.

Hoc exemplum unicum est, quod invenire potuerim, evidentius, quod transitum Syphilidis inter conceptionem a patre lue secundaria laborante ad foetum probare pos-

---

(1) l. c.

sit (1). Alii quidem narrantur a viris doctis casus, quibus simile quid probare student, sed in aliis omnibus non solum pater, sed mater quoque antea Syphilide laboraverat, et ea tantum exstitit differentia, quod in patre symptomata magis perspicua erant, quam in matre, quae diutius jam sanata videbatur. Atqui per optimorum medicorum observationes constat, germen Syphilidis, praecipue in mulieribus, per multos annos, sensus externos latere posse (2). Praeterea bene est notandum, mulierem quamcunque, licet infimi ordinis, non facile culpam suam ultro confessuram esse, eo minus, si videat, medicum talia suspicari. non vero certum esse. Vir contra magis familiaris medico est, et si de muliere in supenso res manet, non paucos invenies maritos, qui peccata confiteantur; temere autem statim judicabis, infantis calamitatem a patre derivandam esse.

Confiteor equidem, argumenta theoretica nihil valere, si experientia iis obstet, tamen me non satis intelligere fateor, quomodo illa, quae supra attulimus, refellere velis, eo magis, cum experientia non sufficiat. V. Cl. Bonorden (3) quidem ita rem explicare conatur, ut dicat, a

---

(1) Alia quoque invenies exempla apud: Haase l. c. p. 16 sqq.; quod tamen ideo maxime suspectum videtur, quia pater postea, nulla contra luem cura adhibita, infantem procrearet sanum. — Victor Trincavella, de la curation d'une maladie particulière du corps humain. Liv. XI. ch. 17. — Amatus Lusitanus, Cent. I. Cur. 50. — B. Bell, A treatise on gonorrhoea virulenta and lues venerea. Edinb. 1793. Vol II. p. 423.

(2) Stoll, Praelectiones in morbos chronicos. Vindob. 1789. Vol. II. p. 321. — Horn: Neues Archiv f. med. Erfahrung. 1807. Bd. VI. Heft 1. S. 1.

(3) Rust, Handbuch der Chirurgie. Bd. XVI. s. v. Syphilis neonatorum p. 32. 35.

patre lue universali laborante semen secerni, quod contagium syphiliticum non contineat, proprio tamen modo corruptum sit, ita ut morbus in matrem quidem non transeat, in foetu contra similem mixtionem vitiosam producat. Generatio actus est nimis arcanus, quam ut hanc sententiam directe refutare possim, eadem vero ex causa maxime incerta et improbabilis mihi videtur. Mirandum praeterea, nullum hujusmodi exemplum existere, in quo Syphilis ex foetu in matrem transierit. Bonorden hanc rem ex vita foetus libera, a matre non pendente deducit, putatque inde probari posse, foetum per placentam tantum spirare sanguinemque supplere, hunc vero non cum materno misceri. Hoc ultimum autem assertum a nemine satis probatum est; confluxus quidem sanguinis matris et foetus continuus non existit, hoc vero non impedit, quominus humorum commutatio locum habeat, et materia morbosa non minus ex matre ad foetum, quam ex foetu ad matrem transire possit.

Num ex mixtione seminis virilis cum veneno syphilitico inter ejaculationem lues in neonatis produci possit — deficientibus rebus in facto positis, quae hanc rem probare possint, dirimi nequit. Sunt quidem qui hoc affirment, e. g. Bonorden, cui multum probabilitatis ex eo redundare videtur, quod contagia animalia semini sint analoga. Credat, cui hoc argumentum sufficit!

III. Hereditas.

A plurimis auctoribus Syphilis congenita cum Syphilide hereditaria confunditur, et utriusque eadem notio creditur. Attamen non tantum symptomatibus, sed multo magis genesi differre dicuntur. Nos quidem

cum aliis (1) luem hereditariam appellamus, quae non statim, vel ad summum paucos post partum dies apparet, sed diutius in corpore occulta manet, non raro post plures demum annos, sub pubertatis tempus se manifestans. Hoc quidem sensu lues hereditaria non stricte ad argumentum nostrum pertinet, cum vero nihilominus arctius cum eo cohaereat, propter notiones quoque confusas et rei gravitatem eam non plane praetermittendam esse duximus.

Jam Baglivi, Sanchez, Rosenstein Syphilidem hereditariam esse posse crediderunt et inter recentiores Mahon, Vassal, B. Bell, Balling, Albers et ex parte Haase huic sententiae suffragantur.

Revera non raro medico offeruntur aegroti, sex, septem et plurium annorum (quorum ipse vidi tria exempla), qui apertis Syphilidis secundariae signis, vulgo exanthematibus, vel ulceribus per totum corpus diffusis, laborant et raro contingit, ut infectionem demonstres. Miratu dignissimum vero ejusmodi exemplum narrat V. Cl. Balling, quippe adolescens sedecim annorum auxilium contra ulcus faucium peteret. Praeterea ossa nasi tumebant et dolebant; ulcera characterem syphiliticum prae se ferebant; puer ceterum innocentissimus videbatur, neque ulla erui potuit conditio, quae infectionem probaret, donec pater confiteretur, se generationis tempore secundariae luis symptomatibus laborasse. Aegrotus paullo post curatione antisyphilitica sanatus est.

Balling ex hac et duabus aliis observationibus quas ipse fecit (quae autem nihil probant, cum maxime

---

(1) Balling l. c. p. 129.

imperfectae sint) concludit, Syphilidem hereditariam semper a patre esse derivandam, qui circa generationis tempus lue secundaria laboraverit, eamque semper sub pubertatis periodum evolvi. Eandem sustinet sententiam V. Cl. Humbert (1).

Plurimi auctores cum V. Cl. Balling in eo consentiunt, quod luem hereditariam a patre derivant, cujus generis exemplum profert V. Cl. Swediaur (2), sed ab ejus sententia eo discedunt, quod prius etiam luem evolvi posse credunt. Ita in observatione a Swediaur allata infans a patre ulcere syphilitico faucium laborante procreatus, jam post aliquot hebdomadas simile ulcus eodem in loco offerebat. Albers (3) secundo vel tertio vitae anno symptomata apparere dicit, et in infantibus quidem a patre lue universali laborante et a matre scrophulosa procreatis.

Hujus morbi symptomata describunt Albers et Balling. Prior aegrotare vidit tales infantes exanthemate squamoso totum per corpus diffuso, praesertim vero in extremitatibus et in facie conspicuo. Glandulae axillares et inguinales tumebant et habitus scrophulosus sensim se confirmavit; Balling contra primam evolutionem in faucibus observavit. Aegroti dolores sub noctem ingravescentes conqueruntur. In tonsillis, in velo pendulo, uvula vel posteriore pharyngis parte tunc invenies locum tumentem, rubentem, dolentem, qui mox in suppurationem transit et ulcus conformat. Ulcera celeriter latius extenduntur et organa, in

---

(1) Traité des maladies syphilitiques de la peau. Par. 1828.

(2) Traité complet des maladies syphilitiques. V. Edit. 1805. Tom. II. p. 10.

(3) l. c. p. 20. cf. quoque Doublet l. c. p. 605.

quibus sedem tenent, devastant. Eodem tempore, vel paulo serius, morbus per palatum ad nasum ascendit, ossa aggreditur nasi et processum palatinum ossis maxillaris superioris; quo fit, ut, morbo longius progresso, cavum oris et nasi conjuncta reperias. Infantes ceterum quam sanissimi nati sunt et valetudinem usque ad pubertatis tempus integerrimam servant, si ab eo discedas, quod organismi evolutio valde retineatur, ita ut ejusmodi adolescentes erectiones tantum experiantur leves, nullas vero pollutiones, puellae aut nihil aut imperfecte tantum menstruentur.

Qui ea, quae attulimus, pro indubitatis et certis acceperunt, variis usi sunt methodis, ad explicandam causam et rationem. Plurimi provocant ad alios morbos, Scrophulosin et Arthritidem, quarum hereditas a nemine fere negatur. V. Cl. Haase non minus luem congenitam ex hereditatis quadam potestate derivat, quamvis ita theoriam nominari nolit (1). Cum quibusdam physiologis et pathologis recentioribus, ut Bach (2), Brandis (3), Kieser (4), Treviranus (5), Harvey (6), actionem seminis virilis cum infectione comparat, ita ut morbus hereditarius non tam ex transitu materiae morbosae, quam ex translatione typi organismorum parentum in liberos deducendus sit. Certo quidem constare, ait, «contagium

---

(1) l. c. p. 25 sqq.

(2) Grundzüge zu einer Pathologie der ansteckenden Krankheiten. Berl. 1810. §. 100.

(3) Pathologie, Abth. II. c. 4. §. 97. sqq.

(4) System der Medicin. Bd. I. p. 230.

(5) Biologie, Bd. V. p. 404 sqq.

(6) Exercitat. de generat. animal. Amstel. 1651. p. 401.

Syphilidis esse fixum et ad morbum propagandum necessarium; hoc vero contagium, sicut aliud quodcunque, per morbum proprium procreari, qui, si universalis factus est, neque radiciter sanatus, diutius in corpore latere, liberisque talium parentum summam ad morbos congeneres diathesin communicare possit.» Summam affinitatem intercedere inter morbum venereum et Scrophulosin, ita ut medici optimi non raro diagnosin tantum dubiam constituere possint. Quare verisimillimum esse, parentum luem tanto in prolem imperio potiri posse, ut morbus inde factus a Syphilide non distinguendus sit.

Praetermissis illis, quod argumentum ex mera theoria et hypothesi satis levi sumi non potest, huic theoriae haec objici possunt: Arthritidem morbum hereditarium esse non negamus, sed morbus est aetatis provectioris, ita ut commutationes certae, licet nobis ignotae, in corpore humano fieri debere videantur, antequam morbi diathesis in morbum ipsum transferri possit. Alia est ratio Scrophuloseos, cujus hereditatem in dubium vocare potes. Nam etsi non negamns, eandem saepissime in prole parentum scrophulosorum oriri, nemo tamen nos erroris arguet, si eam saepissime locum habere contendimus, ubi in parentibus ne minimum quidem morbi fomitem indagare poteris. Quod vero in liberis parentum Scrophulosi laborantium idem morbus locum habet, minime argumentatur, eundem hereditate exortum esse, cum eaedem causae occasionales, quibus pater et mater succubuerunt et teneram infantum aetatem premant. Neque ullum nobis innotuit exemplum, infantem scrophulis affectum natum esse. In Syphilide contra ad veneni evolutionem non peculiaris pertinet organismi dispositio, cum infans tener-

rimae aetatis eandem virus recipiendi habeat facultatem quam adolescens, vir, senex. Etiamsi ergo dispositio congenita est, tamen nobis haud patet, cur ea post annos multos demum in morbum apertum transeat, cum nullam invenire possimus causam, quae morbi eruptionem tam diu arcere valuerit.

Uti nunc res sese habet, Syphilidis hereditatem neque omnino negare neque affirmare audemus, et id tantum optamus, ut viri docti rei huic grâvissimae summam impendant attentionem.

Syphilidem parentum in infantibus alios producere posse morbos eosque varios, permulti viri doctissimi affirmant. Sed haec ad argumentum nostrum non pertinent, quo tandem pro viribus absoluto, dissertatiunculae finem faciamus.

VITAE CURRICULUM.

Natus sum anno hujus saeculi XII. Hamburgi, die XIX. m. Nov., religioni addictus Judaicae, patre optimo Josepho, matre Elisabetha e gente Goldschmidtiana. Primis literarum elementis scholis privatis imbutus anno MDCCCXXVIII gymnasium adii Joanneum, quod Hamburgi sub auspiciis celeberrimi Kraft floret, ibique per quinque annos moratus sum. Anno hujus saeculi XXXIII., maturitatis testimonio instructus, Heidelbergam petii, ibique ab illustrissimo Rosshirt, t. t. fasces academicos tenente, numero civium universitatis Ruperto - Carolinae adscriptus sum. Scholis inde virorum ill. et doct. per duos annos et dimidium hisce interfui:

Cel. Arnold osteologiam et syndesmologiam, anatomiam et physiologiam comparatam, atque anatomiam et physiologiam systematis nervorum et organorum sensus mihi exposuit.

Cel. Bischoff botanicen me docuit et in excursionibus botanicis dux mihi exstitit.

Cel. Bronn zoologiam mihi illustravit.

Ill. Chelius ophthalmiatricen pro eximio ingenio suo mihi explanavit.

Ill. Gmelin chemiam cum anorganicam tum organicam me docuit, nec non, qua est benignitate et comitate, ad analyses chemicas

instituendas dux mihi erat gravissimus et disertissimus. Ejusdem de materia medica lectionibus me interfuisse laetor.

Ill. Leonhard de mineralogia disserentem audivi.

Ill. Muncke physicen me docuit.

Ill. Naegele de arte obstetricia pro ingenii sui acumine disserentem audivi.

Ill. Puchelt pathologiam et therapiam tum generalem tum specialem disertissime et doctissime mihi explanavit, idemque vir praeclarus in exercitationibus clinicis dux mihi erat gravissimus et moderator benevolentissimus.

Ill. Tiedemann anatomiam corporis humani per duo semestria et physiologiam, nec non doctrinam de generatione mihi enucleavit. Eundem virum summe venerandum in exercitationibus anatomico-practicis moderatorem humanissimum me habuisse laetor.

Autumno anni XXXV. h. s. Berolinum petii et ab Ill. Busch, t. t. rectore magnifico, civibus almae universitatis Fridericae Guilelmae adscriptus sum et Ill. Mueller, gratiosi medicorum ordinis t. t. decanus, in numerum studiosorum artis salutaris me recepit. Per tria semestria hasce praelectiones frequentavi:

Cel. Barez clinicum morborum infantilium per duo semestria.

Cel. Froriep akiurgicis scholis interfui.

Ill. Kluge artem obstetriciam mihi exposuit, idemque ad parturientium lectos benignissime me adjuvit.

Ill. Juengken in clinico ophthalmiatrico per duo semestria dux mihi exstitit et moderator benevolentissimus.

Ill. Rust Chirurgiam generalem et specialem disserendi vigore et splendore tractantem me audivisse laete profiteor. Eundemque per duo semestria ad aegrotorum lectos moderatorem humanissimum me habuisse glorior.

Cel. Truestedt policlinicum medico-chirurgicum,

Cel. Wolff clinicum medicum frequentavi.

Quibus omnibus viris ill. et cel., jam superato tentamine tum philosophico tum medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absoluto, summos in medicina et chirurgia honores ambiturus, gratias habeo, quas possum, maximas. Nulla unquam oblivio eorum summe venerandorum memoriam, dum vivam, e grato animo poterit delere.

THESES.

1. Febres essentiales, quae dicuntur, non existunt.
2. Scrophulosis et Tuberculosis idem sunt morbus.
3. Trepanatio, antequam symptomata cerebri laesi urgent, est instituenda.
4. Morbi hereditarii non existunt.
5. Congestionem, quae activa dicitur, nego.